

781.

*Bischof Johann V. von Meißen bestätigt die vom Generalcapitel beschlossenen Statuten für das Collegiatstift.* **Stolpen, 1487 Mai 6.**

*Hdschr.: Or. Perg. Rathsarchiv Freiberg K. 32. Das S. des Bischofs (wie an No. 778) an geflochtenen Schüüren von schwarzer und gelber Seide.*

5

*Gedr.: Wilisch Kirchen-Historie der Stadt Freyberg Col. dipl. 86.*

— — — Nos Heinricus de Spangenberg decanus, Cristofferus Eckel doctor senior, Wilhelmus Hoffemeister de Egra sacre theologie baccalarius formatus, Andreas Krayll, Nicolaus Steytan, Michael Hartmanni in artibus magistri, Theodericus Zeahen capitulum ecclesie collegiate beate Marie Friebergensis Misnensis diocesis representantes 10 capitulariter et pro capitulo generali indieto celebrando in domo antedicti venerabilis domini magistri Wilhelmi horis et diebus subscriptis congregati, vocatis ad hoc omnibus et singulis aliis ipsius ecclesie per litteras patentes canonicis vocandis et ex eis absentibus vocatis minime comparentibus —, ad editionem quorundam et signanter infra scriptorum statutorum et ordinationem procedendum et — dicta statuta in scriptis redigi — duximus 15 in modum ut sequitur.

Cum itaque primum et ante omnia ea, que laudem dei omnipotentis honoremque intemerate ejus genitricis virginis Marie ecclesie nostre collegiate Friebergensis patrone et omnium sanctorum cultumque divinum respiciant, sunt amplectenda, quapropter statuimus decernimus et ordinamus, ut in divinis et horis canonicis dicendis et ceremoniis et 20 consuetudinibus in ecclesia observandis ecclesie cathedrali Misnensi, que est mater omnium ecclesiarum diocesis et cui omnes ecclesie diocesis, quantum possibile est, se conformare de jure tenentur, ecclesia Friebergensis collegiata se conformet, demptis festis peccuniariis et in ecclesia Misnensi non autem in Friebergensi solemnissatis, in quibus juxta breviarium ecclesie Friebergensis, quem ad hoc capitulum per oculum diligenter 25 conscribi et in choro ecclesie ipsius Friebergensis custodiri ordinabit, observabitur, omnia denique festa beate Marie virginis solemniter, et festa omnium apostolorum, si sunt in ecclesia Friebergensi dotata presenciis et habent proprias historias, cum propriis historiis, vel si non sunt presenciis dotata vel etiam si sunt dotata non tamen habentia proprias historias, commune de apostolis sollempniter, et similiter festa patronorum ecclesie Mis- 30 nensis et festum sancti Johannis baptiste sollempniter observentur. Cetera vero festa martirum confessorum et virginum in ecclesia Friebergensi juxta tenorem breviarii ad hoc ut premissum est ordinandi et ordinati observentur.

Item placuit et conclusum est, ut kalende de cetero legantur mox post primas finitas, si non fuerunt misse pro defunctis aut salus populi per chorum decantandi, alioquin 35 post dictas missas aut earum alteram, que mox cantande veniunt post primam, ac finitas et habitas commemorationes defunctorum, si sunt habende, legantur kalende et regula, et quod fiat regulatio in libro, ex quo consuetum est legi regulam, ut saltem legere debentes tantum, quantum signatum est pro una vice legendum, legant.